

Luc. 16. n. 25. Et dixit illi Abraham: fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.

Num. 26. Et in his omnibus inter nos chaos magnum firmitum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.

VERSIONES.

Syriacus. Fili mi, recordare te recepisse bona tua in vita tua, & Loozar mala sua: nunc autem ecce requiescit hic, tu verò cruciaris.

D. Cypr. lib 3. Fili commemorare, quia ad Quirin. percepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic rogatur, tu autem doles.

Arabicus. Et Lazarus fuit in afflictionibus suis.

Euthymius. Nunc autem hic solatio fruatur, tu verò cruciaris.

Pagninus. Solatio afficitur.

Syriacus n. 26. Et cum his omnibus est ingens hiatus positus inter nos, & vos.

Theophylact. Et super hæc omnia hiatus ingens firmatus est, &c. ut non possint ad nos transcendere.

Arabicus. Inter nos, & vos vallus firmatus est.

EXPOSITIO VI.

ILLI recordare. Dives vocauerat Abraham patrem, ordo orationis postulabat, ut & Abrahamus illum filium diceret, vel quia, ut ait Euthymius, Dives hic erat Iudæus, Abrahamus autem omnium Iudæorum erat pater, & idèd vt notant D. Bonau. Hugo, filius erat Abrahamæ natura quidem, non verò imitatione. Recordare, Spiritus à corpore separati etiam apud inferos, recordantur de rebus, quas in vita mortali gesserunt, per species intelligibiles à rebus acceptas, quas retinuerunt, quæ memoria maximè eis inferuit ad tormentum. D. Gregor. hic homil. 40. Ad penam suam, ait, ei & cognitio seruat, & memoria. Cognoscit enim Lazarum, quem despexit: fratrum quoque suorum meminit, quos reliquit. Et addit Abrahamus: Recepisti bona in vita tua. Accepisti enim sanitatem, diuitias, honores, ac iucunditates, & cætera huiusmodi, & Græcè additur: bona tua, quæ à te sunt exultimata bona, seu, vt explicat Caietanus, quæ solum à te sunt concupita, & desiderata. Quod Abrahamus optime

cognoscebat, vel spiritu Dei reuelante, vel Angelis manifestantibus, vt docet D. Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 14. Et non dixit accepisti, sed recepisti, vt notant D. Augustinus, Theophylactus, Euthymius, quod dicit ordinem ad mercedem debitam, vt latiùs explicabo quæst. 17. in limine.

Et Lazarus similiter mala. Recepit in vita sua valde aduersa videlicet vlcera, morbos, paupertatem, contemptrum, famem, ac sitim. Non quod, ait D. Thomas, Lazarus ea mala putauerit, sed ex cursura dicitur hoc dicebat, qui inopiam, & famem, & duram aegritudinem estimabat mala. Illa patienter tolerauit Lazarus in carne sua, idèd vt notat Origenes homil. 30. Nunc autem consolatur. Seu vt legit Pagninus, Solatio afficitur. Seu vt legit Theophylactus, Euthymius, Vatablus, Solatio fruatur. Liber ab omni malo aggregatus sanctis Dei, multis bonis gaudet. Tu verò cruciaris. Siti, verine, igne, aliisque tormentis in æternum duraturis, absque vilo Lazari adiuuamine, & quia tu illum in tua felicitate non admisisti confortem, in tua calamitate illius non obtinebis remediù. D. Chrysol. serm. 66. Dives, ait, qui participem pauperem in bonis presentibus audire contempsit, in futuris compatientem pauperem non meruit inuenire.

Et in his omnibus. Seu vt alij legunt: super hac omnia. Quæ dixi, id quod tu petis non potest fieri, vt Lazarum scilicet ex hoc loco mittam ad tartarum, in quo tu es. Nam inter nos & vos, chaos magnum firmatum est. Chaos ex Græco legitur, vorago, hiatus, seu altissima, & latissima fossa multa confusione impedita, ac permixta, firmata est Dei decreto, ac statuto, vt explicant D. Augustinus lib. 2. quæstion. Euangelic. cap. 38. D. Chrysol. homil. de Diuite, D. Ambrosius, Theophylactus, Euthymius, Beda, & alij, vt nec nobis ad vos, nec vobis ad nos pateat vllus aditus, ac transitus. Vnde ait Euthymius: Hiatus magnum dicit firmissimum Dei præceptum, tamquam ad modum hiatus prohibens horum, & illorum commixtionem. Hanc autem viam insuperabilem, seu vt potius dicam murum æneum ex sua crudelitate, ac ferreis visceribus in pauperes sibi construxit, ac ædificauit miser epulo, vt nullo modo in cælum habeat transitum. D. Augustinus serm. 227. de tempore: Quid faciam tibi, ait, elemosynas non fecisti, quæ peccatorum tuorum penas extinguerent: interueniant pro te pauperes, & quidquid petieris, dono: sed iusto iudicio tibi vicem reddo: quia iudicium sine misericordia ei, qui non facit misericordiam.

QUESTIO XVII.

Quare Abrahamus miserum epulonem, quem à se excludebat, filium vocat?

PATER rationes, quas dedi in exposit. quòd Abrahamus voluit honorate honorantem se. Ad nostram quæstionem sic. Primò respondet D. Chrysol. homil. 2. de Lazaro: Vide Philosophiam, ait, vide humanitatem iusti. Non dixit: inhumane, crudelis, sceleratissime, cum tam multa commiseris in hominem, nunc mentionem nobis facis humanitatis, misericordie, & venie? Non pudes? Non erubescis, sed quid dicit? Fili, inquit, recepisti bona tua. Nam anima, inquit, deiecta non addas perturbatio

August. Chrysol. Theophyl. Euthym.

114.

D. Thom.

Origenes. Pagnin. Theophyl. Euthym. Vatabl.

Chrysol.

115.

Græcus.

August. Chrysol. Ambros. Theophyl. Euthym. Beda.

Ferrea viscera in pauperes claudunt cælum. August.

816.

Chrysol.

turbationem; satis est illi cruciatus suus: vt ne illius calamitatibus insultemus. Hominem crudelissimum, Lazarique irrisorem, æternis supplicijs damnatum, filium vocat Abrahamus, cur non potius vile Sathanæ mancipium, his tamen omnibus ommissis filium dicit, quod erat valde honorificum, renuit piissimus pater afflictio afflictionem augere, sufficiebat misero horribilis damnatio, & idèd horribilia, ac dura verba non fuerunt addenda. Explicat Daniel regi Nabuchodonosori dirum somnium sublimis arboris quomodo ipse à regno expulsus cum bestiis per septem annos aget. Exordium tamen ponit Propheta: Domine mi rex, somnium his, qui te oderunt, Daniel 4. num. 16. Somnium erat de fortuna regis aduersa, crudelisque sententia in ipsum promulgabatur, quomodo sic Propheta appellat, Domine mi rex. Præclare D. Hieronymus ibi: Austeritatem sententia temperat verborum blandimentis. Præfatione honoris tristes angustia mortuus lenire voluit Propheta.

Secundò. Ad eadem verba Chrysol. Tomi: Vide philosophiam iusti. Non dixit: Inhumane, crudelis. Sed quid dicit? Fili, inquit, recepisti bona. Quod in mea potestate est, impero tibi. Filium vocat hominem, quem à se excludebat, vt pote ex Dei sententia æterno supplicio damnatum. Vide philosophiam iusti, non durè, sed benignè cum eo loquitur, & si postulat negat, bonum tamen verbum non negat, contumeliosa verba canet, & filium vocat. Postquam Iacob obtinuit benedictionem à patre suo. Venit Esau, cumque magno clamore, ac vlulatu flens instaret pro benedictione. Recurrat pater dicens: Omnes fratres eius seruituti illius subiungam, frumento, & vino stabiliu eum, & tibi post hoc fili mi ultra quid faciam, Genes. 27. num. 37. Quomodo filium vocat, quem ab hereditate paterna excludebat, quomodo eum dicit filium, quem filij honore priuatum iudicabat? Clemens, ac pius pater, etsi ex alto Dei iudicio Esau filij benedictionem denegabat, dulce, ac blandum filij verbum non denegat. Quod in mea potestate impero tibi.

Tertiò. D. Petrus Chrysol. serm. 123. Voco filium, ait, vt intelligas iudicij esse, quod pateris, non furoris: voco filium, vt in me mea patientia maneat, & in te tua maneat pœna. Superbum, ac inuidia tabescentem non asperis verbis compefcit Abrahamus, sed, filium vocat, vt supplicium non furore, sed culpæ merito constet inflatum; nam si iudex cum punit, conuictis vitur, attenuat crimen, & seueritatem pœnæ ad suam culpam trahit, vt ergo tota pœna maneat in reo, patientia maneat in iudice, vt leniter, ac blandè cum delinquentè pertractet, ne integritas iudicij deuenustata appareat. Vt in me mea patientia maneat, & in te tua maneat pœna. Postquam Cain occidit fratrem suum Abel, ait Dominus ad eum: Vbi est Abel frater tuus? Genes. 4. num. 9. Optimè Dominus agnoscebat crimen, ipsūque esse primum homicidam, ac tantæ inhumanitatis auctorem; cur ergo Domine tam benignè cum eo agis? Cur non potius eum compellas inipium, crudelè, qui ausus est sanguinem fratris sui fundere. Caietanus: Non aliqua vitur contumelia, ait, non inquit, ô scelerste, sed absolute inquirat, ad instruendos iudices, vt abstineant à contumelijs. Deus qui nulla passione mouetur, à verbis duris cum reo abstinet, vt iudi-

Seueritas cū lenitate verborū coniungenda.

Daniel. 4.

Hieron.

117. Chrysol.

Cum negas postulat, bonū non denegas verbū.

Genes. 27.

118. Chrysol.

Iudex caueat contumeliosis verbis, ne iudicij integritas fœdetur.

Genes. 4.

Caietan.

ces ab illis se coërceant, ne asperitate crimen delinquentis diminuat, & integritas iudicij deuenustetur.

Quartò. D. Chrysol. serm. 23. Tu vocas, ait, patrem, ego voco filium, vt grauius doleas perdidisse, quod natus es. Audi, voco filium, vt amarins doleas perdidisse, quod tibi gratia dederat, & natura, quia non habuisse, doloris non est tanti, quanti habita mœroris est perdidisse. Miserrimè damnatum, qui gehennalibus flammis torquebatur, filium vocat Abrahamus, vt magis torqueatur, magisque confundatur, ac erubescat recolens se genere, ac fide filium Abrahamæ extitisse. Nam diues fuerat Iudæus, vt dixi in expositione, & tamen malitia, ac prauitate sua se degenerem præstiterat, quod valde turpe est filiis, ac nepotibus; vt enim ait Marius apud Salust. in Iugurthin. Nam quanto vita eorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior?

Describens sacer Textus corruptionem, ac deprauationem generis humani, ait: Videntes filij Dei filias hominum, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas eligerant, Genes. 6. num. 2. Filij Dei, id est filij Seth viri Dei, qui ob suam singularem iustitiam, sanctitatem, temperantiam, aliisque virtutes, vt interpretantur D. Chrysol. Tomus, D. Cyrillus, D. Hilarius in Psalm. 132. Theodoretus, Rupertus, & alij, quandam veluti aliqualem Dei imaginem videbantur exprimere inter homines. Quorum tamen cum deprauati mores hominum recensentur, ipsi dicuntur geniti à Seth tam nobili Dei viro, imò sub expresso Dei nomine designato, vt exinde magis eius sanctitas innotescat, grauiùsque mordeantur homines, qui cum ab auro Dei viro probos mores deberent haurire, sic defecerunt, vt in corruptam prauitatem degenerarent. D. Chrysol. Tomus in Psalm. 4. Vt enim, ait, magis amplificaret eorum reprehensionem, eorum honorem rauocauit in memoriam, maximum esse crimen ostendens, quod cum tales essent, & exortu ex talibus ad tantam se precipitassent improbitatem.

Exprobrat Dominus Iudæis, eorum hypocrisisim, ingratitude, duritiem, eorumque ad idola conuersionem, obstinationemque ad audienda diuina mandata. Sicut enim quia durus es tu, & neruus ferreus cervix tua, & frons tua aenea, Isai. 48. num. 4. Et inter hæc eorum progenitores commemorat. Audi me Iacob, & Israel, quem ego voco, ibidem num. 12. Non solum dicuntur filij Iacob, sed etiam Israel. Iacob vir rectus, ac simplex Deum timens; Israel, id est vir fortis, ita meritè illustris, vt Deum meruerit videre; cur cum sua malefacta, ac scelera Hebræis exprobrantur, sic & nobilitantur, vt à tanto parente dicantur originem habere: non pro nobilitate, sed pro eorum ignominia, ac verecundia de tanto progenitore admonentur, quod cum ab illo essent natura geniti, omnino morum imitatione degenerantes defecerint. D. Cyrillus Alexandrinus ibi: Appositissime, ait, mentionem facit patrum nobilitatis, in moribus, inquam, ac vita consuetudine. Nota verba: Ad pudorem eorum, qui lapsi sunt. Erant enim quantum ad carnem arinet, ex illis: verum alieni, & longe ab eorum probitate aberant.

129. Chrysol.

Magnum flagellum filiorū ab optimis parentibus degenerare.

Marius.

130. Genes. 6.

Chrysol. Cyrill. Hilar. Theodor. Rupert.

Magna exprobratio ab optimo patre deficere.

Chrysol.

131.

Isai. 48.

Ignominia filiorum abesse ab eorum moribus.

Cyrill.

QUESTIO XVIII.

Quare cum diues epulo excluditur ab Abrahamo, obiiciuntur illi bona, quae in vita recipit?

132.

Iansen. Caictan.

Gregor.

Chrysof. Quare obiicitur recipit bona?

Chrysof.

Bostrenf. Theophyl. Euthym. Beda. Haymon. Bonavent. Math. 6.

Iustus uiuus in terra aliquis habet maculas.

Gregor.

133.

Bernard.

Vir crudelis in pauperes damnatur.

Prou. 11. Vatabl.

Septuag.

Nissen.

IT Abrahamus Lazaro: Recepisti bona in vita tua. Illud uerbum, Recepisti, Maxime premunt auctores: Iansenius pro simplici accipere positum existimat; Caietan uero: Recepisti bona, à te scilicet desiderata, & concupita, quae tui aestimatione solum sunt bona. D. Gregor. citat. Mali, ait, in hac uita bona recipiunt. Omne enim suum gaudium felicitatem transitoriam putant. D. uero Chrylostom. Maximam distinctionem facit inter uerbum accipere, & recipere. Nam uerbum accipere est simpliciter accipere; recipere uero aliquod debitum, seu significationem debiti importat. Vnde ait citat. Chrylostom. Quoniam uerisimile est diuitem aliquid boni, & Lazarum aliquid leue deliquisse; declarauit utrumque Abraham dicens: Recepisti bona tua, & Lazarus mala. Tu etiam si quid boni fecisti, si qua merces tibi debebatur, hac omnia recepisti rebus prosperis utens. Et Lazarus si quid mali fecit, omnia recepit; cum fame, inopia, extremis malis affligeretur. Idem docent Titus Bostrensis, Theophylact. Euthym. Beda, Haymon. D. Bonauent. & alij, ac si dicatur: si diues habuit aliquod bonum morale pro illo recepit bona temporalia, quae sunt ualde exigua bona, de his ac similibus ait Dominus Math. 6. num. 5. Receperunt mercedem suam. At uero Lazarus quamuis iustus, & uirtutibus insignis esset, tamen in terra degens, si aliquas leues maculas ex fragilitate humana contraxit, pro illis exoluit dolores, infirmitates, ac incommoditates sustinens, quam etiam sententiam docet D. Gregor. Papa hom. 40. in Euangel. & concludit: Mala Lazari, purgauit ignis inopia; & bona diuitis remunerauit felicitas transiensis uita.

Ad quaestionem respondet. Primò D. Bernard. Super. Ecce nos reliquimus omnia. Sic ait sanctus Doctor: Recepisti bona in uita tua. Haec uero tota causa cruciatuum, quod in hoc saeculo bona recepit? Ipsa plane. Causa cruciatuum quia bona recepit. Et ut notat ipse D. Bernardus Epistol. 2. ad Fulionem: Recepisti, dixit, non rapuisti: ne etiam de hoc tibi frustra blandiaris, quod tuis contentus, alia non rapias. Causa ergo cruciatuum, quia bona recepit, ita tamen ut ea ad tui indulgentiam, ac delectationem, non uero ad pauperum misericordiam deputaueris. Benefacit anima sua uir misericors: qui autem crudelis est, etiam propinquos abiicit, Prouerb. 21. num. 17. Priora uerba: Benefacit anima sua uir misericors. Legit Vatablus Ablatit animam suam uir misericors. Preme, uerbum, Ablatit, id est abstrahit, ac defraudat à suo cibo, & potu, ac delectatione uir misericors, ut in pauperes distribuatur. Qui autem crudelis est etiam propinquos abiicit. Quae uerba sic legunt Septuaginta: Perdit autem suum ipsum corpus immisericos. Crudelis autem semetipsum perdit, ac deputat supplicio aeterno. D. Greg. Nissen. orat. 6. de Beatitud. ubi sic pungit diuites auaros: Digna, ait, sementi tibi messis; acerbiter seminasti, collige manipulos: fugisti misericordiam, fugiet te misericordia. Abominatus es, & fastidisti egenum,

num, fastidiet te, qui propter te egenus fuit.

Secundò. Diuiti obiiciuntur prosperitates, ac bona ante habita, ut ex eorum memoria maior fieret eius damnatio. Diuina sententia multatus Cain: Egressus à facie Domini habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden, Genes. 4. num. 16. Eden erat regio, in qua paradus terrestris erat constitutus. Quomodo ergo Deus permisit hominem tam impium, ac crudelem in illa regione paradisi manere? Cur non in aliam plagam expellitur, sed ad illam? Ut ex tam praecleara felicitate, ante oculos obiecta, grauiori dolore vulneratur, Lyranus: Per Eden, ait, intelligitur Paradisus terrestris, in penam enim Cain factum est, ut expelleretur uersus illam regionem delectabilem, & felicem, quam per peccatum Patris amiserat, ut inde haberet materiam doloris, quia illuc accedere non ualebat.

Tertiò. D. Chrylostomus homil. 1. de Diuite Epulone: Diuiti, ait, nauis erat plena mercium, ac secundo nauigabat uento, uerum ad naufragium festinabat, eo quod nolebat onus circumspicere ferre, infelix felicitas, quae diuitem ad aeternam infelicitatem traxit. Mundana prosperitas ualde periculosa est de uictorum lenocinio, & frequenter in naufragium impellit, ac magnum infortunium patit: Nam mundana felicitas uictorum fomes est, & malitiae officina, ac iniquitatis licentia. Sua prosperitate ueluti secundis uentis nauigabat diues epulo, sed inde nimis licentiosus factus, crudelis, ebriosus, ac contumeliosus euadit, unde in morte naufragium fecit ad aeternum praecipitium, & inde in memoriam reuocantur ei antiquae prosperitates, recepisti bona in uita tua, ut eas tanquam suae damnationis causam agnoscat; timeamus ergo huiusmodi felicitates, ac Dei etiam beneficentiam abundanter temporalia largientem. Tertullianus lib. de Cultu feminar. cap. 7. Quanto autem laudabilior: qui timuerit etiam indulgentiam Domini. Sic enim mundialis felicitas suspecta est, sicque saepe ruinam, & casum deuoluit, ut etiam temporalium affluentia ex Deo metuenda sit, ne ex prauitate nostra in malum degeneret.

De mandanis prospera fortuna abundantibus ait Regius Vates. Deieicisti eos, dum allenarentur, Psalm. 72. num. 18. Maxime notandum, quod non ait, postquam elati sunt, tunc deiciuntur, sed eo ipso, quod elati sunt, ac prospero felicitatis uento efferebantur, tunc cadere dicuntur, ac si ipsum extolli rebus mundialis, sit iam deici, sic pro appendice felicitatis mundialis est casus, ut ipsum extolli temporali felicitate, sit deici misero lapsu. D. Gregor. Papa. Epistol. 5. ad Theoctist. Imperatoris sororem. Non dixit, ait, deieicisti eos, postquam eleuati sunt, sed dum eleuarentur, quia prauis quique dum temporali honore sufflati feris uidentur surgere, intus cadunt, & cum in hac uita gloriam percipit, quam relinquit, ab illa cadit, quae post hanc uitam uenit.

Factus est sermo Domini ad Abraham per uisionem dicens: Noli timere Abraham, ego protector tuus, Genes. 15. num. 1. seu, ut legit Pagninus, Ego scutum ero tibi. Vatablus. Ego tibi uice clypei. Cur modo tam accuratè, à corde Abraham expellitur timor, ac diuina protectio, ut scutum, ac clypeus ei promittitur? Quid erat in Abrahamo, cur sic in hoc euentu à Deo munitur, ac corroboratur? Immediatè antea refertur, quomodo Abrahamus gloriosè deuicerit quinque Reges,

134.

Amisssa felicitas maxime torquet. Gen. 4.

Lyran.

135.

Chrysof.

Mundialis felicitas extremam miseriam parauit.

Tertullian.

136.

Psalm. 71.

Elatus prosperitatis uicium lapsus est.

Gregor.

137.

Gen. 15.

Pagnin.

Vatabl.

ac

ac Lot, regesque Sodomorum captiuos, eorumque bona liberauerit, ac magnificentissimè eis dederit, & tunc dicitur. His transactis factus est sermo Domini ad Abraham: noli timere. Si ipse captiuus esset, tunc uidebatur consequens, quod illi diceretur: Noli timere. At si ipse magno triumpho est victor, ad quid ei dicitur, quod non timeat, & insuper ei Deus pollicetur, quod erit eius scutum, & clypeus? Abrahamus optima philosophia instructus bene agnoscebat temporales felicitates pro sua consequentia habere lapsus, & ruinas, ac proinde ex prosperitate tam illustris uictoriae aliquem casum praetimit, & idè adest Deus timorem expellens, multaque protectione tanquam scuto, & clypeo eius animum corroborans, & muniens. D. Augustinus in Psalm. 82. Putatis fratres, ait, infelicitatem saeculi metuendam esse, & felicitatem non metuendam, imò uero felicitas frangit, quem infelicitas nulla corrumpit.

Luc. 16. n. 17. Et ait: Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei.

Num. 28. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi ueniant in hunc locum tormentorum.

VERSIONES.

Syriacus. Dixit ei: ergo efflagito à te pater mi.

Arabic. n. 28. Sunt mihi quinque fratres.

Syriacus. Proficiscatur testificaturus eis, ne & ipsi ueniant in hunc locum cruciatuum.

EXPOSITIO VII.

138.

ARRATIO Diuitis, & Lazari historia extitit, ut dixi in exordio cap. huius; & etiam ea, quae hic referuntur de colloquio diuitis cum Abrahamo historiam fuisse docet D. Gregorius homil. 40. in Euangel. probabilis tamen haec parabolicè addita esse historiae existimant D. August. lib. 2. quaest. Euangel. cap. 38. D. Chrylostomus homil. de Diuite, & Lazaro. Sequuntur multi recentiores, ut Maldonatus, Cornel. & alij, sicut parabolicè illa dicuntur de lingua, & digito, quibus carent spiritus; haec tamen Christus interposuit ad docendum ualde necessaria, credendum scilicet esse praedicatoribus Euangelicis; & non esse expectandum, ut aliquis ab inferis redeat, qui nos uera doceat de praemis, ac praemiis alterius uita.

139.

Rogo ergo te Pater. Priùs pro se rogauit: mitte ad me Lazarum, & cum non obtinet, nunc rogat, mitte eum in domum patris mei, resumpto scilicet corpore, ut fratribus meis felicitatem suam, & meam damnationem annuntiet; imò ut ipsi fratres mei suis oculis uideant in Lazaro, quanta bona ipse sua paupertate est effluuatus, & ex eius uerbis agnoscat quantos cruciatuum ego ex meis diuitiis mihi comparauim. In domum patris mei: denotatur, ait Hugo, quod fratres nondum erant emancipati, utpote sub patre iniquo degentes, ex cuius consortio incapaces reddebantur ad bonam & sanam doctrinam suscipiendam.

Hugo.

Habeo enim quinque fratres. Fieri poterat, ut diues hos quinque fratres haberet, uel ponitur numerus certus pro incerto, seu pro aliqua multitudinem; ut Isai. 19. num. 18. In die illa erunt quinque ciuitates in terra Aegypti, &c. Et dicuntur quinque fratres ad cumulum eius temporariae felicitatis, qui fultus erat tantis fratribus, qui multis diuitiis, ac pompis abundabant, qui eius exemplum sequentes cura pauperum neglecta deliciis, ac uoluptatibus carnis indulgebant. D. Chrylostomus homil. illa de Diuite, Beda, Haymon, D. Bonauent. Hugo, per hos quinque fratres, quinque corporis sensus intelligunt, quorum causa peccauerat. Sicut per quinque uiros Samaritanæ, Ioan. 4. num. 17. Et per quinque iuga bouum, quae ille alius emit. D. uero Augustinus lib. 2. quaest. Euangel. cap. 38. per quinque fratres in domo patris, iudæos intelligit; appellati autem sunt quinque, quia sub lege Moysis detinebantur, quam quinque libris ipse scripsit. Ut testetur illis. Tanquam oculatus eorum, quae hic hic gerantur. Euthymius: Insinuat, ait, quod sicut ipse mortem, ita illi pro fabulis ducunt minas, quae in scripturis habentur de futuri saeculi suppliciiis: & propterea solum uoluptuosam uitam sequuntur.

140.

Isai. 19.

Chrysof. Beda. Haymon. Bonau. Hugo. August. Ioan. 4. Euthym.

QUESTIO XIX.

Quare damnatus epulo ostendit se habere affectum erga fratrum salutem.

RATIO difficultatis est; quia huiusmodi postulatio: Mitte eum in domum patris mei, ut testetur illis, ne ipsi ueniant in hunc locum tormentorum. Videtur esse cuiusdam benignitatis, & charitatis. In damnatis autem, ut docet D. Thomas quaest. 98. Additionum, art. 1. Semper uoluntas deliberatiua est mala, sunt enim ipsi aucti à sine ultimo rectae uoluntatis, omne autem bonum semper est per ordinem ad hunc finem ultimum, à quo cum illi sint aucti, semper feruntur in malum. Deinde, ut docet idem Angelicus Doctor, cum in damnatis regnet desperatio, inuidia, ac odium Dei, ideo omnia, ac omnes etiam parentes, filios, socios execrantur, omnèque damnari uolunt, ac sibi fieri similes cupiunt; quomodo ergo diues ait: Mitte Lazarum, ne ipsi ueniant in hunc locum tormentorum?

Respondent primò D. Gregorius homil. 40. D. Bernard. epist. 111. Carthusianus, Lyran. Dida. Stella, & alij, ut mihi est probabilissimum, quod diues epulo hoc dixit ex quodam timore feruili, ut sibi consuleret. Non dixit: mitte Lazarum, ut testetur illis, ne ipsi Deum offendant, sed ait, ne ueniant in hunc locum tormentorum. Bene sciebat ille, quod suo malo exemplo erat damnationis occasio fratribus suis, ac proinde cum ipse uellet sua tormenta minui, idè dixit: Mitte Lazarum ut refrigeret linguam meam. Timebat tamen, quod ex suorum fratrum aduentu in infernum illius tormenta auerterentur. D. Bernard. cit. Timens proculdubio ex suorum cruciatu auereri suum. Sic dixit D. August. ut testatur Didacus Stella, quod poena Arrij in dies augebatur, quia suo pessimo dogmate plures corruerat, & cum quilibet ex eis infernum intraret, erat illi singulare tormentum, accidentale scilicet.

Secundò. Caietanus: Non prouenit ista praecor, ait,

143.

Caietan. ait,

D. Thom.

Damnati firmati in mala alieni ab omni benignitate.

142.

Gregor. Bernard. Carthuf. Lyran. Stella.

Ne ob suum malum exempli illi damnarentur, & ipse torqueretur magis.